



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 1. De Annuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

- Iud.* 13. 3. Angelus Domini , apparuit matri Samsonis , eiq; dixit. Ecce concipies & paries filium , erit Nazaræus , & incipiet liberare populum Israel.
- 1. Reg.* 25 4. Abigail, accepto nuncio , quod Dauid iussisset eam sibi accipi in vxorem, adorauit prona in terram , & ait: Ecce famula tua fit in ancillam , vt lauet pedes seruorum domini mei.
- Esther.* 2 5. ESTHER virgo è captiuitate populi Israelitici incredibili sua pulchritudine, honestisque moribus ita placuit ASSVERO Regi, vt ex omnibus mulieribus eam in sponsam & Reginam elegerit.
- Gen.* 37. 6. Iacob misit filium suum carissimum Ioseph ad inuisendos fratres , qui pascebant oues in Sichimis , à quibus captus fuit, & malè tractatus.

P R O P H E T I Æ.

- Mich.* 1. 1. **E**cce Dominus egredietur de loco suo, & descendet.
- Psal.* 35. 2. Deus ipse veniet, & saluabit vos.
- Isa.* 45. 3. Rorate cœli desuper , & nubes pluant iustum, aperiat^r terra , & germinet Saluatorem.
- Psal.* 71. 4. Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.
- Isai.* 7. 5. Ecce virgo concipiet & pariet filium.
- Hier.* 31. 6. Creauit Dominus nouum super terram, foemina circumdabit virum.

7. Por-

MEDITATIONVM. 3

7. *Porta hac clausa erit, & non aperietur, Eze. 44*
& vir non transiet per eam, quoniam Domi-
nus Deus Israel ingressus est per eam.

8. *Inclinavit calos, & descendit. Ps. 17. 10*

9. *Cum quietum silentium continerent Sap. 18,*
omnia & nox in suo cursu medium iter ha
beret, omnipotens sermo tuus Domine, exi-
liens è caelo à regalibus sedibus venit.

DOCUMENTA.

1. **A**NGELVS Gabriel, etsi probè intel-
 ligeret, se quoad naturam, longe esse
 homine nobiliorem & sublimiorem,
 hac verò legatione futurum homine inferio-
 rem, & hominem adoraturum: tamen cum
 sciret hanc esse Dei voluntatem, promptè &
 alacriter suo functus est ministerio: Sic nos in
 rebus ad diuinum seruitium spectantibus non
 debemus querrere commoda nostra, aut hono-
 rem nostrum, sed id tantum, quod magis con-
 ueniens est voluntati & gloriae Dei, ac saluti
 animarum.

2. Verbum æternum non voluit carnem no-
 stram assumere Hierosolymis vrbe regia, sed
 in exigua villa Nazareth, quod interpretatur,
 sanctificata, vel florida. Gratia diuina non
 contingit superbis. Quare si in animis nostris
 volumus Iesum concipere, simus humiles, &
 sancti, & virtutum floribus ornati.

3. DEVS assumpturus carnem, voluit ma-
 trem suam, non solum esse virginem, & san-
 ctam, verumetiam marito adiunctam, vt et-
 iam apud homines omnem peccati suspicio-
 nem auerteret sic non sufficit nobis, vt bonis
 operibus, rectaque intentione satisfaciamus

DEO, sed præterea necessarium est, vt nullam scandali occasionem hominibus demus, conuenienter verbis S. Pauli monentis, vt bona prouideamus, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

Rom. 12
17.

4. Angelus non inuenit B. Virginem in loco publico, sed domi in cubiculo reclusam. Et nos, si caelesti uisitatione digni, si diuinorum secretorum participes esse cupimus, simus in nobis ipsis collecti, & nos à nimia conuersatione hominum subtrahamus.

5. Beata uirgo, Angelo conspecto, tantisque laudibus ab eo in salutatione auditis, turbata est, & seipsam collegit; vt doceret, affluente diuina consolatione, rebusque prosperis, nos non debere esse timore vacuos, sed ob periculum ruinæ impendens nobis ipsis attendere: Sicut è contrario desolationis & afflictionis tempore debemus latari, & esse magis securi, dicente Scriptura Dominum in tribulatione nobis adesse ad adiuuandum nos.

Psal. 90
15.

6. Discant foeminae à MARIA domi se continere, eoq; loco recludi, vbi solæ inueniantur ab Angelis, discant formidare virorum colloquia; & ad laudes suas turbari. Discant prius expendere, & examinare res sibi propositas, quàm respondeant. Discant audire multa, loqui pauca. Discant denique zelum castitatis, qui tantus fuit in MARIA, vt non ante Mater Dei esse consenserit, quàm inuiolatam fore virginitatem suam certò cognosceret.

7. Beata uirgo, licet esset humillima, & præ alijs omnibus se indignam reputaret, vt esset mater Dei, tamen cognita diuina voluntate, mox cessit & magna animi promptitudine & fortitudine sese obtulit. Sic nos, cum ad diuinum seruitium à Deo vocati sumus, quam pri-

primum, re diligenter excussa, animaduertimus vocationem esse à Deo, non debemus nec instituti difficultate, nec rei præstandæ magnitudine, nec virium nostrarum imbecillitate deterriti, respuere, vel differre obsequiũ, sed confisi in eo, qui vocat, promptè nos offerre, & dicere cum Maria: Ecce seruus Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

8 *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* In his sex verbis sex eximie virtutes Sanctissimæ Virginis continetur, quæ cuius Christiano, in se Christum spiritualiter concipere volenti, sunt necessariae.

Prima est, Obedientia prompta, significata voce. *Ecce.*

Secunda. Humilitas profunda, significata voce. *Ancilla.*

Tertia. Puritas angelica, expressa voce. *Domini.*

Quarta. Caritas ardens, & zelus pro salute aliorum significata voce, *Fiat.*

Quinta. Humilis magnanimitas in diuini seruitij executione, significata voce, *Mihi.*

Sexta & postrema, Fides deuota, quæ significata fuit, quando dixit, *secundum verbum tuum.* Beata enim virgo firmissimè credebat re ipsa in se complendum, quicquid verbis Angeli erat expressum.

9. B. Virgo sermone Angeli turbata nihil respondit, sed secum omnia expendit. Vnde discimus, cum in nobis perturbatio aliqua, vel commotio animi exurgit, debere nos tacere, & expendere quid conueniat, ne quid loquamur, vel agamus, cuius nos deinceps pœniteat.